

Vg
1207

L
tu

us
im
co
ta
r



Cl. 208.

Cl. 208. 7.

V^g

1207

EPISTOLA

LVCIFERI AD SPIRI-

tuales circiter ante Annos Cen-

tum, ut ex codicis uetustate

apparet, descripta. Au-

tore Nicolao

Oren.

Rom. 1.

Quapropter etiam tradidit illos De-
us per cupiditates cordium suorum in
immundiciam, ut ignominia afficiant
corpora sua inter se mutuo, qui commu-
tarunt ueritatem eius mendacio, & ue-
nerati sunt, colueruntque creaturas su-
pra creatorem, qui est laudandus
in secula. Quamobrem tradi-
dit eos Deus in cupidi-
tates ignomini-
osas.


1549

14

1700

800000

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



CHRISTIANO LECTO

ri sinceram Christi cognitionem &
constantem eiusdem confessionem
Matthias Flacius Illiricus.



DANE HORRIBILE
est & uix credibile esse ali-
quos homines mentis com-
potes, qui scientes & uo-
lentes omnipotenti Deo se-
se opponant & in aeternum
exitium ruant. Atqui expe-
riencia nos redarguit. Videmus enim ministros
Antichristi, qui spirituales uocantur (Loquor in
genere, non negō esse inter centum unum aut al-
terum bonum, qui illum statum & furores ex ani-
mo oderit) ita omnes suas actiones & uitam
componere, ac si ex professo hostes Dei & plane
ipsissimi demones infernales essent.

Nam primum quæso fidem ipsorum cogite-
mus, nonne omnes aut penitus sunt Epicurei, qui
nullum Deum curent præter uentrem, ut Cyclops
apud Euripidem de se gloriatur, aut certe, cum
sint Hypocrite, plane Diabolico odio ardent con-
tra Filium Dei. Prioris sit hoc unicum satis eui-
dens argumentum, quod cum iurauerint perpe-

quam castitatem, tamen non solum se sine intermissione libidibus contaminant, contra suum iuramentum, sed etiam illis suis turpitudinibus commaculati & contaminati, audent secrete suam missam pro aliquot nummulis celebrare, in qua aiunt se Filium Dei Patri creatori cœli & terre offerre.

Hic tu mihi Christiane lector considera, num is ullum Deum uiuum esse putet, qui tam foede pollutus tam temere in tanta re audet cum tam multipliciter offenso Deo agere, ac non uereatur ne se protinus fulmine ad ima tartara protrudat.

Posterioris uero, id est odij Hypocritarum contra Christum, hoc certum iudicium est, quod cum sciant eum esse unicum Mediatorem & saluatorem, à Patre humano generi propositum per quem poenitentes fide Deum placent & salui fiant, tamen plane pati non possint indicari miseris hominibus hunc esse unicum Saluatorem, nec esse ullum aliud nomen sub cœlo datum, per quod queant salui fieri, sed extruso Christo se mediatores eius loco collocant, se suis missis, officijs, bulis, cucullis, alijsq; suis sanctissimis supererogationis operibus ad se confugientes ab ira Dei, potestate Diaboli & inferno liberare, ac in Dei gratiam eternamq; salutem perducere posse. Longe
facili-

facilius te ferent in multis locis papistici spirituales, si Deum Blasphemaueris, quam si Christum esse unicum nostrum seruatorem asserueris. Iudeos sine intermissione Christum Blasphemantes, Hostes Euangelij habent libenter, Christianos uero credentes non esse aliud nomen sub coelo & ferro & igni persequuntur.

Quin etiam sacrilegis uocibus saepe Satanicum uirus in corde latens patefaciunt, ut Auguste in comitijs quidam Episcopus exclamauit: Si haberem Paulum, ego eum de arbore suspenderem: & Monachus quidam ordinis Benedictinorum in monasterio, quod uocatur in monte prope Madeburgū cū moneretur ab alijs monachis rectius sentientibus, ne ita pergeret resistere doctrinae Euangelij iam denuo beneficio Dei instauratae, cū certum esset eam esse perpetuam uocem Spiritus Sancti per Patriarchas, Prophetas & Apostolos Christum mundo Euangelizantis, tandem in hacce furiosas uoces erupit, quid mihi cum Christo & eius Euangelio, ego legem seruo, & per eam seruari uolo, Sed tamen is furoris sui ibidem statim subitanea morte poenas dedit. Tale Diabolicum uirus odij contra Filium Dei omnibus temporibus fuit, est, & erit in corde omnium Hypocritarum, dolent enim se de officio & dignitate

mediatoris deponi, & Christum in ipsorum locum
subrogari.

Sed hæc de eorum fide ac prima tabula, iam
etiam in secunda tabula examinentur. Num quæ-
so isti proximum, parentes aut patriam diligunt,
qui iam longo tempore in hoc extreme sudarunt,
ut monarcharum gladios à Turcis in Christianos,
cives & consanguineos suos conuerterent, nuncq;
tanquã re optime gesta triumphent, quod tandem
peregrinam eamq; crudelissimam & turpissimam
gentem in propriam patriam adduxerint, eamq;
omnia uastantem, contaminantem & in seruitu-
tem redigentem proprijs oculis cernant. O fer-
rea uel potius infernali ueneno imbuta pectora.

Porro de luxu libidinibusq; eorum nihil satis
dici potest, quod etiam ipse Sadoletus sæpe est
fessus, affirmans Lutherum nunquam satis de tur-
pitudinibus spiritualium dixisse. Nam, ut omitta-
mus alia turpiora, uel hoc unicum iam consyde-
retur, quod recens Episcopus quidam (quod com-
pertum est) cum aliquot Canonicis ministrante
nuda conuiuatus est.

Plane Diabolorum uitam hic in terris tur-
pissima ista monstra, non iam homines uixerunt
& uiuunt mendacijs, ut in ipsorum iure & doctri-
na apparet, homicidijs, dum inter Christianos sine
intermi-

intermissione bella cient, & turpissimis libidini-
bus, & contaminatissima uita plane incarnatos
Diabolos ita ad amussim expresserunt, ut dicas eos
à patre suo Sathana sic edoctos & educatos esse.

Ea de re quandam Epistolam Luciferi ad
spirituales nuper Madeburgi in monasterio mi-
norum (quam uolenti semper ostendemus) circi-
ter ante annos 100 descriptam, & à quodam Ni-
colao Oren compositam inueni, publicare eam
uolui, ut etiam hinc omnes pij animaduverterent,
Antichristi ministros iam longo tempore ita uix-
isse & egisse, ut homines ἀυτοκατακρίτες (ut
Paulus loquitur) decet, id est, ut faciunt ij, qui sci-
unt se scelerate agere, nec dubitant, quin ad eter-
num exitium destinati sint, ac ideo in hac uita dies
bonos habere uolunt & iuxta uulgare prouerbi-
um, **nur wol die helle verdienen** / id est,
mensuram cumulatiu implere. Atq; tales immun-
di spiritus, si Dijs placet, uolunt esse nostrarum
animarum Pastores, nobisq; eterne salutis uiam
commonstrare. O calamitatem Ecclesie, & Epi-
cureum furorem cœcitatemq; illorum, qui se iam
talibus lupis ultro pascendos, regendos ac uoran-
dos præbent.

Nullum ò profecto maius malum in hac uita
homini accidere potest, nec ulla grauiori pœna di-
uina quisquã puniri, quã si ita in reprobū sensum

A 4

trada-

tradatur, ut sciens & uolens, tum Filium Dei
Christianosq; persequendo, tum uero & in reli-
qua uita turpissime uiuendo Diaboli hostis Dei
uitam referat, hæc enim ea poena est, qua teste
Paulo summi idolatræ puniuntur.

Proinde omnes, qui timent Deum & saluari
cupiunt, execrentur & detestentur eos, in quibus
tales diuini iudicij notas conspiciunt, nec ad-
mirentur eorum fluxam fœlicitatem, nec se
eis ullo modo adiungant, sed fugiant, &
toto pectore abhorreant ab eis, ne
forte unâ cum eis incendio iræ
Diuine conflagent.

••

EPISTOLA LVCIFER

ri, ad praelatos Ecclesiae.

Lucifer princeps tenebrarum, tristitiae profunda regens, Acherontis imperator, Dux Erebi, Rex Inferni, rectorque Gehennae, uniuersis socijs regni nostri, filijs superbiae, qui gloriantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, praesertim Moderna Ecclesiae principibus, Praelatis, Canonicis, senioribusque & singulis alijs à quibus egressa est iniquitas, de quibus Christus per Prophetam dicit, Odiui Ecclesiam malignantium. Salutem, qua Ioab salutauit Abner, quam uobis optamus nostris mandatis parentibus.

Quia ex patre Diabolo estis & opera patris uestri facitis, & prout incepistis legibus parere Sathanae omnia in malum interpretantes, & nostri iuris praeccepta, quae sunt moechari, adulterari, fornicari, & his similia, iugiter obseruantes, contradicentes per nostram tyrannidem & potentiam appellatione postposita compescendo. Dudum siquidem Christi uicarij, quibus prout uobis placet, dicitis, recedite à nobis, scientiam uiarum uestrarum nolumus. Ipsi inquam sequentes Christi uestigia, signis & uirtutibus constantes, & de-

A 5

gentes

gentes sub quadam uita paupere, uobisq; despe-
cta, per ipsorum prædicationes & opera effece-
runt enim quod docuerunt, quemadmodū ex uita
& doctrina Christi magistri sui, aduersarij uero
nostri, habuerunt (uos uero legem nostram se-
quentes, in hoc nobis charissimi, id quod à uobis
dicitur, opere implete minime curatis, eo testante,
qui dicit, Dicunt enim & non faciunt) ferme to-
tum mundum à nostræ tyrannidis iugo ad suam
conuerterunt doctrinam, & uitam in nostri tar-
tarei regni illusionem magnam, & contemptum,
nec non est nostræ iurisdictionis non modicum
præiudicium, damnum interesse & grauamen,
non uerentes nostram ledere personam, socio-
rumq; nostrorum, atq; terrificam nostri status
maiestatem, fundati enim erant super firmam
petram Christum Iesum. Illo nanq; tempore
nulla recipiebamus à mundo tributa, nec con-
cursu solito cateruatim ueniebant ad nostri ba-
rathri limina, sed uia decliuis, lata, & aperta,
que ducit ad mortem sine ullo strepitu mane-
bat, nullis miserorum gressibus conculcata, to-
taq; curia nostra uacans erat, & feriata, ulu-
labat Infernus gemens, anxius, & spoliatus.

Vnde nostri pectoris impaciens feritas
sentiens

sentiens se multipliciter grauata[m], timensq[ue] fortius per predictos CHRISTI uicarios posse grauari. Ipsa grauamina ultra ferre non uoluit, nec potuit amplius, sed praeuidentes in posterum, obuiando periculis habitoq[ue] prius super hac uersutia peritorum ac nostrorum consortium generali concilio, qui se in omni astutia ultra CHRISTI uicarios & sequaces eorum merito extolli affirmabant, ad uos, qui modernis temporibus Ecclesiae praesidetis, attendentes quod dicitur, quod a multis & expertis quaeritur, facilius inuenitur, prouocauimus appellando. Vos itaq[ue] amici, iniquitatis principes, infideles, socij furum, qui pronunc regnantes, & dominantes Ecclesiae praestis, iustificatis impium, accipiendo munera peruertitis iudicia, sicut aduersarius noster Christus de uobis dixit: regnauerunt, sed non ex me, quos per nostram inexplicabilem astutiam atq[ue] potentiam qua dominamur a mari usq[ue] ad mare loco iudiciali praesidere fecimus, ut dimatis & euellatis omnem plantam nonferentem fructum in nobis, secundum nostra decreta ac in fauorem partis nostrae male processum & bene appellatum pronunciat. Super quo gratias uobis & laudes quibus potimur dicimus per immensas.

O per

O peramandi & prædilecti nostri ambasciatores
Prælati & Domini Ecclesiæ nuncupati, qui om-
nia pro uiribus adimpletis, quæ in oculis nostris
placita sunt & accepta.

Idcirco uos merito uestra exigente malitia
loco predictorum aduersariorum nostrorum Apo-
stolorum & ceterorum sequacium eorum uolu-
lumus præferri. Vos enim desideratis præesse, sed
non prodesse, & quorum non zelatis salutem
subiectionem ipsorum ambitiose uobis uendica-
tis. Collata enim uobis dignitas non efficit uos
dignos, sed potius uos fures, latrones, debachato-
res & indignos, ostendit.

Aduersario nostro Christo, semel omnia reg-
na mundi promissimus, si cadens in terram nos
adoraret, ipse uero noluit dicens, quod regnum
suum non esset de hoc mundo, non uenit ministra-
ri, sed ministrare, & fugit, quando turbe in re-
gem temporalem ipsum uoluerunt eligere. Vos
autem conciuēs nostri, primos accubitus petitis,
salutationes hominum in plateis & in foro ama-
tis, nomine Rabi ab omnibus & honorari & uo-
cari desideratis. Vos enim estis, qui de statu gra-
tiæ cecidistis, de gaudio in mœrorem, de uita in
mortem, & nobis nostrisque satellitibus in terris
ministra-

ministratis, pro nostro libitu atq; posse uestro.
Impleta est in uobis promissio dicens, ibunt in
progenies patrum suorum & in æternum non ui-
debunt lumen. Iam enim per uos terrena habentur
imperia, quæ uobis tanquam nostris fidelibus con-
tulimus & in alijs legitimis negotijs uices nostras
in terris uobis committimus & commisimus do-
nec eas ad nos duxerimus reuocandas. Ipse enim
impugnator noster Christus de uobis dixit, ut sci-
tis: Venit enim princeps huius mundi & c. & su-
per omnes filios superbiæ uoluit nos regnare, cu-
ius regni non erit finis.

Subiiciebantur itaq; principibus huius seculi
in temporalibus uitæ aduersarij nostri ante dicti,
scilicet Martyres, Prophete, Apostoli, Confesso-
res, Virgines, & similes periculo mortis se pro
iusticia exponentes, uos autem commensationibus
& ebrietatibus dediti, gulas uestras incessanter
perfunditis dicentes, O quanta patimur pro Ec-
clesia Dei, imo potius pro morte æterna, deuora-
te & inebriamini & ad placitum uestrum uiuite,
repentinus enim super uos ueniet interitus.

Docebant etiam uiri amici Christi supra nu-
merati non solum ore, uerum etiam opere dicen-
tes, subiecti estote omni humane creature prop-
ter De-

ter Deum siue regi tanquam præexcellenti &c.
& rursus, Obedite præpositis uestris. Sic enim
magister eorum fecerat, cum præceperat dicens:
Reges gentium dominantur eorum, & qui pote-
statem habent super eos benefici uocantur, uos au-
tem non sic, non enim expauescatis in altum cor-
nu uestrum extollere, aut contra Deum & sanctos
iniquitatem garrulare, & sicut prædiximus, ad-
uersarius noster Christus detestabilem & inopem
uitam gerebat in continuis laboribus & ærumnis,
Vos autem non sic, iam enim pomposi, incestuosi,
auari, luxuriosi, ambitiosi, iam ipsis primis patri-
bus non solum dispares, sed penitus contrarij tam
in moribus quam in uita, ipsosq; in derisum & in
similitudinem improperij habentes, super om-
nes elati & omnia possidentes, fingentes uos pau-
peres & mendicantes. Effecti autem estis inopes
ueri census & pecuniæ scilicet graciæ & uite
eternæ.

Nec redditis Cæsari, quæ sunt Cæsaris, nec quæ
sunt Dei Deo, sed tantum uobis in bursatis, imo se-
cundum nostra decreta utriusq; gladij iurisdic-
tionem exercetis, uos mundanis immiscentes, secula-
ribus negotijs implicati, nobis militantes, occidi-
tis animal, quod uicturum erat, & quod uiuere
non potuit, uiuificare laboratis & de paupertatis
miseros, gradatim ascenditis od culmen honoris,
demumq;

demumq; ligatis manibus & pedibus precipitan-
di in locum horroris, potentes enim per nos effecti
nobiscum patiemini tormenta, potentes uos ad su-
arum dignitatum uestigia; per me excogitabiles
practicas, & fallaces fabricas, per hypocrisin, per
adulationes & mendacia, per proditiones & per-
iuria, per fraudes, symonias, & ceteras nequitias,
nequitias, inquam quas oculus non uidit, nec au-
diuit, neq; in cor hominis ascenderunt ue-
trosq; gradus profundiores extenditis quam nos
st. & furie infernales excogitare possint, cum au-
tem illuc erecti estis non sufficit, sed estis famelici
plus quam antea. Quapropter de malo in pe-
ius festinantes, pauperes opprimitis, imo audire
renuitis.

Pauper cum non habet quod offerat, non
solum audiri contemnitur, imo contra ueritatem
uolenter opprimitur & confutatur. Si enim
pauper pro iusticia & iure suo uobis supplicat
subaudit. Si uero pro se & pro iusticia sua iu-
ra ac leges adducere nititur, dicitis, tace tu riual-
de nescis, quæ profers contra stilum & modum pa-
latij nostri & curie nostræ: Si uero stilum & curie
modum allegauerit, respondetis recede quid uis.
Nōne tu cōtra leges & canones instare formidas?
Et sic

Et sic quamcunq; uiam pauper elegerit, semper
uos contrarium fouere consueuistis.

Omnia rapitis, totum peruertitis, inflati su-
perbia, similes pomparum, baiulis luxuriose, ui-
uentes in delitijs, & facinoribus corporalibus du-
citis uitam uestram.

Vocatis, celebratis nomina uestra in terris,
uos patres & Deos sanctos & sanctiss: appel-
lando, Nomina enim uestra deleta sunt de libro
uiuentium, & cum iustis non scribentur. Bona au-
tem, quæ aut uiolenter rapitis, aut per abusiones
surripitis, aut fallaciter extorquetis, & falso ti-
tulo possidetis contra Deum & iusticiam quæ pro
sustentatione pauperum Christi, quos odimus, fu-
erunt antiquitus congregata, in usus uestros &
uobis placita expenditis, inde meretrices, gartio-
nes ociosos & inutiles, atq; lenonum turbas nu-
tritris, canes, nisos, accipitres, falcones pascitis
(qui pascere deberetis pauperes) cum quibus
equitatis, pomposi ueluti magni principes ince-
ditis aliter, quam illi sacerdotes primitiuæ Eccle-
siæ, uestibus mollibus mire, uarie disponitis, ac mi-
rifice exquisitis, non sicut ille, qui induebatur ue-
stitu de Camelorum pilis, sed sicut diues ille, qui
induebatur purpura & bisso.

Vobis edificatis palatia more Babiloniorum,

omni

omni amoenitate & pulchritudine spectabilia,
comeditis delicata, bibitis uina fragrantia, omni-
um curiosa ex lasciuitate acquisita, ut prodeant
quasi ex adipe iniquitas uestra, non sicut Sacer-
dotes ueteris legis, qui uinum & siceram non bi-
bebant, nec sicut ille, qui locustas & mel syluestre
edebat, sed sicut diues ille, qui epulabatur quoti-
die splendide, qui quidem sepultus est in inferno,
Cuius in contubernio uos uolumus esse Principes
indubitanter. Thesauros ex usuris, turpelucris,
simonijs, falsatijs, ex iniquitate & nequissime ac-
quisitos adunatis, Non sicut ille qui dixit argen-
tum & aurum non est mihi, Vos aurea secula re-
parastis, uos uiam miserie & tenebrarum in stra-
tam publicam, & uiam regiam reformastis.

O societas gratissima demonibus, uobis olim
per prophetas promissa, & ab ipsis pristinis tem-
poribus & antiquitus reprobata, dum te Christus
uerificauit synagoga Sathanæ & te designauit
per meretricem magnam, quæ fornicata est cum
regibus terræ facta de matre nouerca, de sponsa
Christi adultera, o malorum adiuuentrix, bono-
rum desolatricis, uanitatū imperatrix, Confractæ
sunt mammæ pubertatis tuæ, quæ non erubescit,
sicut ignis in spinis iniquitas, Charitatem tuam
primam reliquisti, nobis infernalibus adhæstisti.

B dicis

dicis enim non cognoscat Dominus nec intelliget
Deus Iacob, alijs quoq; uiam mortis & laqueum
interitus demonstrasti, ipsosq; ut adorarent Deos
alienos, & eis seruirent informasti, o dilecta no-
stra babilonia, o ciues & consortes nostri amici &
fautores charissimi, qui huc de Ierusalem transmi-
grastis, uos merito diligimus, uobis applaudimus,
uosq; nobiscum in perpetuum potabitis Calicem
Babilonis.

Leges namq; Simonis Petri aure surda præ-
teritis ad similitudinem aspidis, aures suas obtu-
rantis ad incantantis uocem, Et leges Simonis ma-
gi amici nostri præcipui regnum nostrum ampli-
antis, puta symonijs, superstitionibus, maleficijs,
præuaticationibus, dolis, fraudibus, subtilissimis
cautelis, ultra omnes dæmones uos ingeritis, ipsas-
q; cunctas ad unguem & publice exercetis, in
templo Dei uendentes & ementes spiritualia, &
contra Christi præcepta, distribuitis beneficia &
honores, & hoc aut prece aut fauore, aut pre-
cio, qui plus dederit, citius accipit, aut pro turpi
seruitio in penso seu impendendo, & fauore diui-
tes accipitis, & pauperes refutatis, licet magis
dignos & iustos, reprobantes dignos & indignos
indigne promouentes ad beneficia & Ecclesiasti-
cas dignitates, ut puta, lenones, garciones, mechan-
tes, do-

tes, dolosos, cautelosos, malitiosos, susurrosos, in
nequitijs uestris similes, uobis assistentes, aut ue-
stros nepotes, amicos, aut filios proprios ex illicito
coitu procreatos, ad hereditatem sanctuarij
Dei & patrimonij crucifixi euocatis, & uni por-
co & indocto multas confertis dignitates, quo-
rum minimam probo, pauperi, & docto denegatis,
simulantes uos ignorare quid dicatur.

Quomodo in pascua diuinorum eloquio-
rum educet greges Dominicos pastor idiota per-
sonam accipitis, & munera non curantes quod
scriptum est, personarum non est acceptor Deus,
curam habentes pecuniarum & prouentuum non
animarum, Domum Christi speluncam latronum
fecistis. Circuit enim latenter uestra seuitia, ut
rapiat pauperes, & insidiatur quasi Leo rugiens
in spelunca sua, omnis abusus, cautela, fraus, dolus,
omnis extorsio in foro uestro plus centies ex-
ercetur, quam apud seculares, statuitis leges
& eas minime tenetis, sed hoc solum facitis,
ut pauperes & alios exactionare possitis, o
filij perditionis socij nostri charissimi, nun-
quam parcet uobis oculus Domini in die tri-
bulationis, totamq; uestram dispensationem ad
libitum nostrum dispensatis, & omnes laudabiles

ritus dissipatis, scurrilitates, leuitates, cachinnati-
ones, derisiones, & similes turpes actus diligitis,
& fouetis.

Insuper uobis qui regere habetis curam ani-
marum uidelicet Episcopis, Archidiaconis, Deca-
nis prioribus, plebanis &c. non sub silentio uolu-
mus hoc nostrum decretum subteriri, Vos enim
estis qui permansistis nobiscum in tribulationi-
bus nostris, ideo nos disponemus uobis habitatio-
nem uestram ab aeterno praedeterminatam in profun-
do inferni, non enim uolumus nos latere edictum,
per uos enim omnia genera scelerum perpetrantur,
in hoc nobis plurimum & summe placentes,
uos namq; caeci ductores caecorum, qui de nocte
tractatis incestuosam filiam ueneris, & de mane
in altare filium uirginis, qui potationibus & cra-
pulis dediti adhuc ructantes & semi crudi accedi-
tis ad celebrandum, osculantes ipsum, coram cu-
ius facie non estis digni stare.

Ideo aduersarius noster Christus dicere potest,
O iuda osculo Filium hominis tradis, & non so-
lum haec de uobis, qui curam animarum geritis,
sed & de alijs omnibus nostris charissimis, qui ad
sacerdotalem dignitatem aut propter bene uiue-
re, aut propter ociari, uel honores, aut propter
quodcumq; peculium corporis indigne inuolastis,
& quo

Et quotidie corpus Domini indigne tractatis. Ideo, cum dicitis, orate pro me, respondit Christus aduersarius noster, oratio tua fiat in peccatum, Cum uerba in Canone recitatis, in faciem Christi spectatis: Cum corpus sanctificatis et eleuatis, impio pugno percutitis, cum manibus immundis corpus Christi pertractatis, dicit Christus, Manus tradentis me est mecum in mensa, Cum diuiditis Sacramenta, sacram hostiam tunc crucifigitis. Cum indigne sumitis, dicit uobis, quæ utilitas in sanguine meo, tum descendero in corruptionem, id est in tuam damnationem.

Vos namque, non Sacerdotes sed blasphemii, non rectores sed eiectores à conspectu altissimi estis animarum. Multum enim et potissimum nostro seruitio insulatis quamcunque ad destructionem fidei Christianæ. O præuaricatores et serui nequam, o genimina uiperarum, O dispersores animarum, quis dabit uobis iram Dei effugere, quæ super uos uentura est? quam rationem reddetis de uillicatione uestra in die furoris Domini aduersarij nostri? Tunc incipietis dicere montibus, cadite super nos, et collibus operite nos, quis nanque uobis erit refugij locus, aut quis stabit ad excusandum uos? accusatores innumerabiles habebitis non excusatores, tunc tempus retributionis et uindictæ ueniet, O miseri, miseris miserabiliores.

Ideo nostrum est salubre uobis consilium,
ut ad placitum uiuatis dum tempus habetis. Nos
enim stabimus pro uobis, ut sub umbra alarum
nostrarum colligamini, non enim capillas perde-
tur de capite uestro, Venit autem ex malitia ue-
stra, ut iam layci permaxime hæsitent in fide, &
si sibi quid quandoq; prædicatis, licet negligenter
& raro, tamen non credunt, cum manifeste
quemlibet uestrum conspiciunt contraria operan-
tem. Ipsis namq; eleemosinas, missas & offertoria
& similia imponitis pro commodis, ut facietur &
adimpleatur nequitia & malitia uestra, Vos uero
raro & rarissime eleemosinas, ieiunia & similia
absignatis. Et si contingat, uos missas celebrare,
nō ex deuotione, sed ex exactione, uel ex assuefacti-
one ipsas dicitis, uos namq; peiores estis Iuda, qui
Christum pro 30 denarijs uendidit, uos autem in
plateis, in foro, & ubilibet constituti, Christum
tanquam uenalem pro uno denario exhibetis, di-
centes in persona Iudæ: Quid uultis mihi dare
& ego uobis missam cantabo, at illi constituerunt
ei unum denarium. Ecce quomodo uos Christum
uili penditis, quem in foro Ecclesiæ uno denario
offertis. Vnde de uobis dictum est, Sacrifici-
um & holocaustum uestrum nolo, abominatio
est enim mihi.

Quam

Quamobrem laici quibus præestis, in ani-
marum periculum non modicum sequentes ue-
stra exempla, iam ut plurimum nostris utuntur
regulis, irruentes in plagas uitiorum, dicentes:
Nos commanebimus ipsis in morte, quibus in uita
congaudemus. Non enim soli erimus si deglutie-
rit nos infernus, & hæc desperatio per uos adue-
nit, qui præestis animarum curis, iam ad firmatas
barathri ædes assidue maxima ipsorum confluit
multitudo. Vos namq; immerito & negligenter
Sacramentorū usum quodammodo in abusum con-
uertistis, Sacramenta enim pro fidelibus sunt insti-
tuta, & per Christum data, uos autem indifferen-
ter usurarijs, fornicarijs, publicis maleficis, here-
ticis datts, & scismaticis & quibuscunq; adueni-
entibus, si saltem uobis pecuniam uel aliquid eo-
rum substantiæ uobis impertiuerint, ut impleatur,
quod dictum est per uos, date nobis & orabimus
pro uobis.

O generatio exasperans & peruersa, no-
bisq; semper promouenda & diligenda, iam au-
rum tuū uersū est in scoriam, & uinum tuū mix-
tum est aqua. Hoc ipsum non solum qui pro curis
animarum positi estis, uerum etiam qui sub prætex-
tu habitus religionis, siue uestitu pietatis, ut sunt,

qui fratres appellantur nomine, pauci uero re,
quos uos mendicantes dicitis, ipsi enim laboribus
& inquietibus propter quod non mundanis deli-
tibus propter Christum abrenunciauerunt, propria
enim se habere non posse dicunt, sed communia.
Si autem aliquis forte census & redditus, quo pro
communitate se potiri dicit, in commune distribu-
ere mentitur, si quis requirit, ut distribuat, re-
spondit, desiste, quia haec pars me tangit, Sed quid
cum ad religionem pro Christi nomine aliquis se
petit assumi, ipsi dicunt, quantum dare potest, &
certam conuentionem cum ipso ineunt, antequam
ad religionem unquam procedat. Sed hoc palli-
are uolentes dicitis, Ecce pauperes sumus, habita-
tiones nostrae, Ecclesia & coenobium nostrum ru-
inam minatur. Hanc igitur pecuniam pro re-
paratione & fabrica Ecclesiae nostrae & familiae
nostrae deputamus, nobis nihil retinentes. Dabi-
tur namq; sutori marca, braxatori marca, sar-
tori marca, rasori &c.

O fratres, primos uos in palatio nostro ha-
bere uolumus, uosq; nostro conspectui semper assi-
stere, uos enim secundum quod dicat nostra maiestas
& nostrae Tyrannidis feritas assidue in nostris be-
neplacitis uos placabiles redditis. Quos enim
ipsi proprii plebani premio ducti absoluere a ui-
tibus perpetratis non arbitrantur indifferenter etc,
quoscuna

quoscunq; recipitis non uerentes falcem mittere
in mensam alienam, sed semper dicitis, intrate
fures, latrones, prædones, usurarij, lenones, raptors,
malesici, hæretici, scismatici, adulteri, fornicarij
etc. Et his similes, quos tempus non patitur
enumerare. Vos enim dilectissimi nostri non estis
pastores, sed fures & latrones, namq; non per
ostium sed aliunde ascenditis ouile ouium, uobis
non commissum, usurpantes id, quod ad uos minime
spectat, maxime pro muneribus quemlibet
quocunq; uinculo ligatum absoluere uos posse
dicitis. Et si inquirunt casum Episcopalem habemus,
aut maiorem, respondetis uerum est, sed nos
papali autoritate fungimur, quæ alias potestates
excellit etc. Populum decipitis & merito quia si
non absoluitis à crimine saltem ipsum quitatis ab
ere.

Nos uera uobis & ipsis multipliciter gratias
agimus & de stipendio uestro suo tempore uolumus
abundanter prouidere. In excelsis quippe
non habitabitis, quia manus uestras à muneribus
non excutitis, Vos enim uestris susurrationibus &
suggestionibus, peruersisq; dogmatibus populum
de suis proprijs sacerdotibus abstrahitis, quid turpius?
Vos continuas, simulatas, & longas orationes
facitis, Scriptum est, populus hic labijs me
honorat, cor autem eorum longe est à me.

B 5

Væuo

Vae uobis Hypocritae, ue uobis Pharisei, ad uos nanq; solum uestra deflere peccata, non in mis cendo uos curis animarum, spectat. Quomodo nanq; aliena poteritis distribuere, qui id, quod ad uos pertinet non seruatis, regulam, quam pro= misistis, munere adimpletis, sed cautelose per fraudes & munera dispensationes obtinuistis, ita ut minimum punctum Ecclesiae uestrae non serue= tis, sed dispensationes huiusmodi minime pro= sunt, quia nullum peccatum excusare possunt prudenter autem incepistis & consueuistis, pro= cedite. Tot enim animas ex omni genere & uocatione, quae sub caelo est, quotidie transmit= titis, ita quod capere minime possemus, nisi no= strum Chaos insatiabile mille millenis faucibus undiq; deglatiret, in maxima etenim parte no= stri imperij principatus per uos extitit refor= matus, nobisq; damnum importabile est restitu= tum, uos enim tartara nostra adimplere labo= ratis, dicentes ad infernum nostrum, dilata os tuum & nos adimplebimus illud.

Vnde habemus uos multipliciter recommen= dare & gratias rependere, nihilominus exhor= tantes, ut perseueretis ulterius procedendo de ma= lo in peius, sicut semper facere consueuistis, quia per uos intendimus religionem Christianam scan= dalisarc,

ad alifare, totumq; mundum sub nostram iurisdic-
tionem & seruitutem iterum reuocare, iam enim
pre multitudine, quam nobis quotidie destinatis,
adeo occupati sumus, multipliciter poenas insti-
gendo, quod presentialiter uobis semper adesse
non possumus, sed exigente uestra malicia uo-
bis & uestris similibus his tartarcis & obscuris
processibus commitimus uices nostras, & uolu-
mus uos fratres cappatos (quia omni malitia estis
pleni) nostros esse uicarios & ministros, quin
etiam de missione propinqua Antichristi cogi-
tamus, cui uiam optime preparastis & prepa-
ratis, in nostrum tamen consilium, auxilium &
fauorem uos tanquam eminentiores consiliari-
os nostros tanquam uersutos, astutos & dolosos
sicut huc usq; susurrationibus, malis suggestio-
nibus & dolosis inuentionibus nobis adherere
consueuistis.

Insuper & uobis, qui summum tenetis api-
cem, Cathedram Petri regentes, consulimus
ad cautelam, ut intra principes seculi pa-
cem faceremus procuretis, sed tamen occulte
causas discordie nutriatis, & sicut astute Ro-
manum destruxistis imperium, ita nec permitta-
tis aliquod regnum nimium ampliari, ne mul-
tum fortificati & pacem habentes uestrum
abusum

abusum & maliciam considerantes uelint depri-
mere uestrum statum, & à uobis auferre thesau-
ros, quos apud uos pro Antichristo facimus reser-
uari, nec timemus per huiuscemodi publica scri-
pta uos à nobis posse auerti, & uiam poenitentiae
arripere, atq; animo ab his malis cessare, cum
sciamus pro certo quod obstinati cum arguuntur
& mala eorum recitantur in malicia obstinati-
ores fieri, & quia scimus uos & uobis similes iam
per tanta mala nobiscum foedus pepigisse no-
stramq; maliciam ut uestimentum induisse, ideo
minime dubitamus, quin nostram uoluntatem, quae
semper mala est, adimplere conamini, ut haecenus
consueuistis.

Propterea cum executioni huiusmodi nostri
mandati alijs arduioribus curis deuoti personali-
ter semper interesse non possumus, uobis uniuersis
& singulis, quibus praesens noster processus in-
fernalis dirigitur praesertim uobis Ecclesiasti-
cis patribus & sacerdotibus, qui summum apicem
tenetis, caeterisque inferioribus Praelatis, Episco-
pis, Archidiaconis, Cantoribus alijsq; spiritali-
bus & praecipue uobis, qui iurisdictioni praestis
spiritali, nec non omnibus alijs & singulis quos
negocium tangit infrascriptum, puta religiosis
sacerdotibus, clericis, militibus & nobilibus, bur-
gensibus, negotiatoribus, mœchanicis, agricolis,
seruis

seruis & Dominis, diuitumq; uxoribus & quibuscunq; ubilibet constitutis recommendatas uolumus filias nostras charissimas uobis desponsandas, semperq; amplexandas scilicet symoniam, hypocrisin, rapinam, usuram, dolum, fraudes, cautelam, susurrationem, derisionem, latrocinium, falsitatem, superbiam, auaritiam, luxuriam, iram, gulam, inuidiam, acidiam, coeterasq; suas sorores.

Volumus enim superioribus in Ecclesia Christi Papæ, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Archidiaconis, Decanis, præpositis Canonicis, cæterisq; descendendo præcipue committimus dominam Symoniam, quæ uos fecit, uos exaltauit, proprijsq; lactauit uberibus, & nutriuit, ipsam non uocetis symoniam seu peccatum, quia omnia uestra sunt, & quia estis de plenitudine potestatis, potestis uendere, quia de uestro proprio sumitur & soluitur, neq; superbiam existimetis superbiam nostram, quia talem requirit magnificentia status uestri, & qui nostri consortij & socij estis, qui semper eminentiam & excellentiam cupimus, ambitiositate concomitante merito uos nobis conformetis, nec estis auari, quia pro S. Petro est, aut alijs S. Patronis uestris, quicquid congregatis, legitimam causam allegantes, quia pro Ecclesia & patrimonio Christi hoc facitis.

Vos

Vos etiam uidemini sequi Christum in pro-
mouendo uestros, qui ad Apostolatam uocauit
cognatos & notos, licet uocabantur ad statum
pauperem & humilem, uos autem (ut nostri fra-
tres & socij) uestros uocatis ad statum diuitia-
rum & superbiae, illi reliquerunt omnia, uos au-
tem accipitis infinita, & si non factio, tamen cu-
piditate.

Nec uidemini inuidi, quia non uultis bona
alijs, ne in successibus eleuentur. Nec dicemini
acidiosi, quia ob hoc labori parcitis, ne inde de
indiscretionem uos argui contingat. Quis audet
uos dicere gulosos, quia corpus ad hoc nutritis,
ut fortius Ecclesiae seruire possitis, neq; luxurio-
sos nos existimetis, quia ad tempus uiuitis satis
faciendo ueneri & etati & postea fortiter poeni-
tere intenditis. Iracundos nemo uos dicat quia
mala tolerare non uultis. Sicq; de similibus ex-
cusationem facietis.

Autoritatem quoq; , ut melius possitis sub
uirtutum specie uitia palliare, & liberius perpe-
trare, suademus, ut pro uobis allegetis & glosse-
tis omnia uestro statui congruentia, & adducatis
ad propositum semper autoritatem uestram &
neminem permittatis aliquid contra uos dicere,
& si quis praedicet contra uos & uestros, aut do-
ceat, uel

ceat, uel se opponat, ipsum excommunicantes uiolenter opprimite & à uobis tanquam hæreticus condemnetur, tantumq; inde faciatis, ut locum mereamini habere nobiscum, quem uobis præparauimus sub nostri habitaculi secretissimo fundamento, ubi nondum quis uenit exceptis maioribus Satrapis regni nostri, uobis autem singulariter resignatum.

Super omnia cætera habemus uos præcipue incommendatos eò ludis nepharijs, malitijs malitiosis & extraneis potissime uos ingeritis, ut sunt ludi alearum & taxillorum, quibus adeo intenti estis, qui omnia quæ spectant ad uestrum officium omittere non formidatis, non timetis quod scriptum est, Clericus aleæ & taxillorum ludo deseruiens aut desinat, aut deponatur. Qui enim his dictis ludis taxillorum intenti sunt, uel qui simpliciter taxillis iactant aut particeps & inspectores siue cõputatores gehennali pœnæ omnes deputati sunt.

In ipsis namq; ludis dictis decem committuntur peccata, Primum est desiderium nefandi lucri, ecce, Cupiditas, Secundum est uoluntas spoliandi proximum, ecce rapina, quæ non dimittitur nisi restituatur ablatum. Tertium est usura maxima quia uno die uno denario lucratur mille, non enim deficit de plateis uestris usura & dolus.

Quartum

Quartum, uerba mendacia & odiosa. Quintum est periurium et falsum testimonium, os enim quod mentitur occidit animam. Sextum est blasphemia & maledictiones sanctorum et Christi, ecce hæresis. Septimum corruptio proximorum, qui ad inspiciendum ludum accedunt, qui enim alteri malum exemplum præbet, duplici poena erit puniendus. Octauum est contemptus statutorum Ecclesie. Nonum est amissio temporis. Decimum est fraus & rixæ, quæ in ludis talibus sunt consuetæ.

De causis autem nefandis & secularibus uobis prohibitis, quas quotidie tractatis non est opus mentionem fieri, sed sufficit nobis tartareis quod nihil agatis recta intentione, quod uestrum officium concernit. Vos igitur amici nostri & socij nec speratis futurum præmium nec formidatis æternum supplicium, ideoq; uitam, quam credatis, minime habetis, sed nobiscum mortem obtinebitis sempiternam.

Secundam itaq; filiam nostram scilicet Hypocrisin religiosis committimus, quibuscumq; qui religionem in tonsura & habitu uix ostendunt, sed in corde & in opere minime habent, propterea remunerabimus eos, ueluti satellites nostros.

Tertiam autem filiam nostram, scilicet rapinam ip/

nam ipsis nobilibus et militibus atq; armigeris de-
sponsauimus, qui pauperes spoliantes & oppri-
mentes, aliena rapientes, terræ despoliatores con-
stituuntur, quibus nedum temporalis excommu-
nicatio secundum leges debetur, sed & æternis
pœnis nobiscum affligentur.

Quartam autem, filiam scilicet usuram, ip-
sis burgenſibus & similibus in ocio uiuentibus ad-
iungimus, qui pecunias suas alijs accommodant,
ut participes sint non laboris, sed lucri, non dam-
ni, sed rerum.

Quintam uero filiam, scilicet dolum, uobis
prædilectis scilicet uobis negotiatoribus, merca-
toribus & similibus & specialiter deputamus cum
suis peccatis, scilicet mendacio & periurio,
uos namq; duplices mensuras facitis, Vnam qua
expenditis minorem, aliam qua recipitis maio-
rem. In loco obscuro, cum paruis fenestris, in
quibus uenditis, facitis ut defectus rei lateat emp-
toribus uestris. Væ igitur illis temporibus.

Sextam filiam scilicet sacrilegium, licet com-
munis sit omnibus, uobis tum & agricolis despon-
sare uolumus qui decimas, quas tenentur, subtra-
hant & quotquot possunt in agris & terris Eca-
clesiæ occultant.

C

Septi-

Septimam uero filiam scilicet Falsitatem
seruis & ancillis damus, qui res Domnorum suo-
rum negligunt, aut destruunt uel occulte subtra-
hant, aut inutiliter dispergunt.

Octauam filiam scilicet Superbiam uxoribus
diuitum precipue coniungimus, quæ nouitates
adinueniunt, & rara atq; spectabilia uestimenta
ferre uolunt. Cum enim uicinas habere aliqua
noua uiderint non dant requiem maritis suis die
noctuq; donec similia eis procurent, dicentes ip-
sos uiros eas non diligere, sicut alij suas uxores.

Nonam uero filiam nostram omnibus dispon-
samus scilicet luxuriam omnibus communem esse
uolumus indifferenter. Quicquid autem dictis fi-
liabus nostris, suisq; sororibus & pedissequis im-
penditis nobis ipsis impensum omnino reputamus,
promittentes certissime rependere obsequium ad
eternam damnationem. Datum apud centrum
terræ, in nostro palatio tenebroso, ubi nullus ordo
sed sempiternus horror semper inhabitat, ibi fri-
gus insuperabile, ignis inextinguibilis, foetor in-
tolerabilis, uermis immortalis, tenebræ palpa-
biles, flagella cedentium, uisio dæmonum, confu-
sio peccatorum & desperatio omnium bonorum,
presentibus cateruis mille millium dæmonum, ad
hoc spe-

hoc specialiter uocatorum ad nostrum consistori-
um dolorosum. Sub nostri terribilis sigilli
caractere in robur promissorum. **V**
leatis itaq; foelicitate ipsa, qua uos
consyderamus & intendimus
sine fine premiare.

Amen.

**Explicit Epistola Ni-
colai Oren.**

M. Mat. Illyri.

Finita propemodum huius Epistole im-
pressionem inueni praeterea duos codices, in qui-
bus haec eadem Epistola erat, In altero illo-
rum haec in fine adiecta erant. Anno Domini
Millesimo quadringentesimo decimo Indictione
septima, Die uero quinta mensis Aprilis in
Florentia praesentes literae fuerunt praesentate
Domino Iohani Resferendario Iohannis Papae 23. per fami-
liarem eiusdem Cortisani
qui statim datis lite-
ris fugit.

C 2

Vt ne

VT VACVVM HOC EXPLERE
mus aliquot D. Bernardi loca de Diabo-
lica spiritualium uita apposimus.

Cap. XVIII. De clamore pauperum ad
Pontifices. Vbi supra.

Clamat penuria pauperum. Clamant nudi.
Clamant famelici conqueruntur et dicunt.
Dicite pontifices in freno, quid facit au-
rum? Nunquid aurum a freno repellit frigus: si-
ue esuriem? Nobis fame & frigore miserabiliter
laborantibus: quid conferunt tot mutatoria uel
extensa in perticis uel plicata in mantieis? No-
strum est quod effunditis: nobis crudeliter sub-
trahitur quod maniter expenditis. Et nos enim
Dei plasmatio Christi & nos sanguine redempti
sumus. Nos ergo fratres uestri. Videte quale sit de
fraterna portione pascere oculos uestros. Vita
nostra cedit uobis in superfluas copias. Nostris ne-
cessitatibus detrahatur: quicquid accedit uanita-
tibus uestris. Duo deniq; mala de una prodeunt
radice iniquitatis, dum & uos uanitando perdi-
tis: & nos spoliando perimitis. Iumenta gradi-
untur onusta gemmis: & nostra non curatis cru-
ra nuda caligulis. Annuli, catenule, tintinabula:
& clauate quedam corrigie, multa q; talia tam
speciosa coloribus: quam ponderibus preciosa:
ularum

mularum pendent cervicibus, fratrum autem lateribus: nec se micintia miserantes apponitis? Huc accedit quod hæc omnia nec negotiationis studio: nec proprio manuum exercitio uobis elaborastis: sed nec iure hereditario possidetis. Et hæc pauperes modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Nec enim audent aperte causari aduersum uos: quibus interim pro sua uita necesse habent potius supplicare. Cæterum in futuro stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt: stante quippe pro eis patre orphanorum & iudice uiduarum. Ipsius enim tunc uox erit. Quamdiu non fecistis uni de his minimis meis: nec mihi fecistis.

Cap. XXVII. De peruersitate quorundam prælatorum. Super cantica sermone. 77.

Non omnes sunt amici sponsi: quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui (ut uulgo aiunt) eam quasi ad dextrare uidentur. Pauci admodum sunt qui non quæ sua sunt querant: ex omnibus caris eius. Diligunt munera: nec possunt pariter diligere Christum: quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati: circumamicti uarietatibus tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repente cernimus procedentem

cedentem aspexeris sponsam potius putabis quam
sponse custodem? Unde uero hanc illis exuberare
existimas rerum affluentiam, uestium splendorem,
mensarum luxuriam, congeriem uasorum argen-
teorum & aureorum, nisi de bonis sponse? Inde
est quod illa pauper & inops & nuda relinqui-
tur facie miseranda, inculta hispida, exanguis.
Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam
sed spoliare, non est custodire sed perdere, non est
instruere sed prostituere, non est pascere gregem
sed mactare & deuorare, dicente de illis Domino,
Qui deuorant plebem meam ut cibum panis. Et
in alio Propheta. Peccata populi mei comedent,
Quasi dicat, Peccatorum precia exigunt: &
peccantibus debitam sollicitudinem non impen-
dunt. Quem dabis mihi de numero prepositorum:
qui non plus uigilet subditorum euacuandis mar-
supijs quam uitijs extirpandis? Vbi qui orando
flectit iram: qui predicet annum placabilem Do-
mino. Leuiores loquimur, grauiora grauius manet
iudicium. O utinam tam uigiles reperirentur ad
curam: quam alacres currunt ad cathedram. Vi-
gilarent utiq; solcite seruantes sponsam sibi cre-
ditam, immo uero euigilarent pro semetipsis. Pa-
rum est nostris uigilibus quod non seruant nos, ni-
si & perdant. Alto quippe dimersi obliuionis
somnia: ad nullum dominice comminationis toni-
trum

truum expergiscuntur: ut uel suum ipsorum periculum expauescant. Inde est quod non parcant suis qui non parcunt sibi: perimentes pariter & pereuntes.

Hæc S. Bernardus aliaq; his longe duriora quam plurima, qui ante Annos 400. uixit, de sui temporis spiritualibus. Quantum autem quæso putas ab illo tempore eorum probitatem creuisse? Istis infernalibus furijs commendet suam animam aliquis Epicuri de grege porcus, qui neq; Deum, neq; resurrectionem, neq; extremum iudicium credit, non is, qui uel unicam syllabam in sacris literis ueram esse putat.

O impiam & nefariam interimistarum & adiaphoristarum dementiam, qui istis Sathanis Ecclesiam subijciunt, istisq; Antichristi ministris regimen Ecclesie Christi tradunt.

Magdeburgæ excudebat Michael Lotther. Anno
1549.

... expugnabit: ut vel suum imperium
... expugnabit. Inde est quod non
... non sibi: perimere
... Hic. Bernardus dicit: hic longus
... quam patet, per ante anno 400. ut
... sui temporis spiritibus. Quamvis autem
... ab illo tempore eorum prohibita
... fuerit in his commentis in
... aliquid de Gregorio de Gregorio, qui
... sed: Deum, sed: resurrectionem, sed: extinctionem
... non is, qui vel eandem syllabam
... factis libris eorum esse putat

1910/11

O imperium et nostrum intermissionem
... adhibentiam deventiam, qui istis
... Belesiam subiecit, istis: Antichristi
... minister regnum Belesie Chris
... et erudit.

M. deburg exudebat Mis
... dahl Lottor. Anno


1742

M.V.



X 220 1919





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

P. 208
208.7

Vg
1207

PISTOLA
IFERI AD SPIRI
circiter ante Annos Cen
, ut ex codicis uetustate
paret, descripta. Au
tore Nicolao
Oren.

Rom. 1.

propter etiam tradidit illos De
piditates cordium suorum in
iciam, ut ignominia afficiant
ua inter se mutuo, qui commu
ritatem eius mendacio, & ue
ant, colueruntq; creaturas su
eatores, qui est laudandus
cula. Quamobrem tradi
it eos Deus in cupidi
tates ignomini
ofas.

1549

14

